1,
2, Discursus contemporaneus.
3, Considerationes monetales.
4, Kurtze und eigentliche Deduction
5, id. latine
6, Deductio rei monetalis
7, Discursus de re monetaria.
8, Epistola mercatoris.
9, Dowod iawny etc.
10, Unvorgreifliche Bedencken.

DISCURSUS
DE
RE MONETARIA
REGNI POLONIÆ

Ostendens

Damna Enormissima

Ex Vilioribus Monetis novis
Argenteis & Cupreis

EARUMQ; REMEDIA

Ad trutinam

Serenissimæ Reipub. Polon.

Mente bona Sinceraq;
conscriptus

ANNO CHRISTI
1664.

GEnuinam Indolem, neceſſitatem & utilitatem pecuniæ ſive Monetarum, nervoſe exponit JCtus in l. 1. ff. de Contrah. Emt. quod ſc: propter difficultates permutationum (cum raro eveniret, ut pro re quam ab alio deſiderarem, ego in retributionem aliud quid reddere poſſem quod ipſi ut æquivalens placeret) *electa ſit materia (Metallica) cujus publica & perpetua æſtimatio, difficultatibus permutationum ſubveniret, æqualitate quantitatis, eaq; materia forma publica ſit per cuſſa, quæ uſum dominiumq; non tam ex ſubſtantia præbet quam ex quantitate*. Utilitas eſt ut pro pecunia omnes merces ab omnibus omni tempore & ferê ubiq; acquirere poſſimus, quod permutatione fieri nequit. Ex quibus (ne latius Artis Monetariæ ſive Probatoriæ verba Technica, diverſarum lingvarum, ponderaq; modos calculandi, & alia ſubtiliora excutiamus) apparet, quod ex Materiæ, id eſt auri, argenti, Cupri qualitate & quantitate (quæ vulgó granum & pondus, Schrot und Korn vocantur) oriatur valor forenſis Monetarum (qui in JCivili dicitur quantitas.) Ita ut tantus Valor tribuatur nummo, quantum efficit ejus interna bonitas ſeu precium rudis metalli, cum impenſis fabricationis, ſeu Characteris, perinde uti Aurifabri argentea vaſa ſua taxant, ex labore impenſo & materiæ ipſius qualitate & pondere. Character enim publicus qui nummis imprimitur ad excludendas fraudes eſt inventus, non veró ut Principes lucrum inde captare debeant, hoc enim ubi fit, non poteſt publica æſtimatio eſſe perpetua, ſed ſemper magis magisq; deteriores fiunt Monetæ; & inde rerum precia atq; Commercia turbantur. Sané quæſtus talis (ſive Signoraggio) olim hodieq; captatus paſſim fuit. In Polonia tamen ſalutariter prohibitus eſt, jam An. 1368. per Statutum Caſim: M. *quod una perpetua & bona in pondere & valore debeat eſſe moneta*. Nam ſi quæſtus pro Charactere percipitur, bonitati & ponderi argenti id detrahitur nec poteſt *una aut perpetua* manere moneta.

Obvia ſunt apud Herburt ſaluberrima Statuta ſub Vladislao Jagell. An. 1422. & 1443. & Sigism. Aug. A. 1550, atq; pacta Regum quod absq; Conſenſu Reipubl. monetæ cudi non debeant neq; imminui ſeu deteriorari. Sed quia id non fuit ſemper obſervatum, ideó Respubl. A. 1633. in Electione D. Vladislai IV. ad medelam mali, rem monetariam ſibi ita reſervavit, ne ullum pro Rege lucrum captaretur, propter quod viliores fieri poſſent Monetæ. Nam olim in Pruſſia & Polon.

optimæ fuerunt Monetæ; In Pruſſia enim uti ex Antiquiſſimo Priv. Culm A. 250. patet, Denarii ex bono argento fieri debebant, ita ut ex argento Marcam ponderante cuderentur 60. ſolidi (Schillinge) qui in pondere fermé æquabant Drachmam ſeu Ungaricalem Credo enim quod Crucigeri monetas Gallorum cum quibus in Paleſtina militarunt, & Germanorum tunc imitari voluerint: Poloni vero Bohemorum.

Nam magno labore tandem ex hiſtoriis & ipſis nummis vetuſtis reperi Clavem ſeu fundamentum ad antiquam rem Monetariam Poloniæ & Pruſſiæ, ex harmonia cum vicinarum gentium monetis, genuiné explicandam, unde oſtendi poterit Solidos argenteos, drachmales, tunc Gallis, Saxonibus & Pruſſis fermé æquales fuiſſe, & Ungaricum aureum tunc 12. ſolidos valuiſſe: Ita enim plerumq; ſolet eſſe proportio valoris inter Aurum & Argentum. Poloni veró circa An Chr. 1333. in uſu habuerunt groſſos more Bohemorum, qui groſſi ex bono argento (non tamen exacté puro) erant feré Drachmales ſub rege Bohem. Johanne Lucelburg An. Chr. 1311. Tales groſſi Pragenſes in Polonia numerabantur per Sexagenas. (Kopa,) & Marca ſeu *grzivvna* Polona valebat 48. groſſos Solidorum veró tunc non invenio nomen in Polon. Quid autem Scoti, & quid Aurei fuerint & valuerint in Polonia, alibi explicandum reſervo, nec non prolixam deductionem qualiter & quibus cauſis per aliquot ſecula creverit Valor Aurearum & argentearum Monetarum atq; rerum precia, & quæ valoris auri & argenti varians fuerit proportio, quodq; ſuperiore Seculo exigua deterioratio Monetarum fuerit, hoc ſeculo veró major, nulla tamen damnoſior quam quæ ab An. 1658. orta eſt in Ortonibus & Sexgroſſalibus & aucta eſt per tot Milliones ſolidorum Cupreorum & per Florenales Bidgoſtienſes, idq; omne diſſuadentibus Civitatibus quæ ad conſultationes monetales pertinent. Sciendum autem quod Pruſſia Regalis ab Anno 1454. quo ad Polon. acceſſit, usq; ad Annum 1528. per 74. annos minutas ſpecies Polonicarum Monetarum non receperit, ſed tantum Monetis JGent. hoc eſt Thaleris & Ungaricis, ſuisq; propriis uſa ſit. An. 1528. veró in Conventu Mariæburgenſi conventio inter Regnum Poloniæ, Ducem Pruſſiæ atq; Regalem Pruſſ. eſt celebrata, ut legitimæ ubiq; Monetæ valerent, & fabricarentur, ſc: quatenus unanimi conſenſu Statuum Regni, Ducis Pruſſiæ & Civitatum jus Monetandi habentium, fuerit concluſum. Hinc ad conſultationes Monetales vocati ſunt & admiſſi iſti intereſſati, ipſorumq;

rationibus (ut alia salutaria taceamus id conclusum Ao. 1631. A. 1635. & iterum A. 1650, quod ex æquali liga seu mixtura argenti majores & minores Monetæ cudi debeant, & solo pondere differre, ita enim facilius quivis paterfam. nummorum vitia in quantitate & qualitate Metalli deprehendere posset, quam ex diversa liga. Sed parum sunt observata talia, quia Monetariis Regni utilius fuit, variis Mixturis uti. Nam inter causas deterioratæ semper monetæ, referri potissimum debet, quod in Polonia, non per certos Reipub. officiales ad id juratos & gnaros neq; sumtibus publicis Ærarii Reip. fabricantur Monetæ, quod utrumq; simul necessarium est ad vitandas fraudes & lucra nimia, atq; fieri solet in Regnis atq; Civitatibus aliis, severis contra avaros transgressores pœnis. Ubi enim officinæ Monetariæ locantur privatis, ut suis aut aliorum Participantium sumtibus cudant Monetas, tunc inter Impensas computant usuras largas & his aliisq; prætextibus viliores faciunt nummos.

In Germania præsertim in Civitatibus id salutare est, quod summa solertia, per juratas, ex publico salariatas personas Monetæ fabricantur, & vicinorum Monetæ sæpè explorantur, nam eæ quæ justo viliores sunt, etiamsi ipsius Imperatoris forent, possunt & solent rejici.

Porrò inquirendum est qualia & quanta damna publica & privata oriantur ex vilioribus Monetis, ut respondeatur his qui putant damna esse exigua, eaq; evitari *per leges de preciis rerum non augendis*. Nemo ita simplex est, quin sentiat eum minus argenti recipere, qui in solutum accipit viliores novas monetas, pro antiquis melioribus. Sed nonnulli id existimant leve esse & privatum damnum, imò nullum: præsertim si initio pro viliore floreno tantum vini, panis, pannorum, aromatum &c. possunt coëmere. Nam Imperitum vulgus, non ita cito & exactè, sicut periti Mercatores qui cum Exteris negotiantur, novit precia rerum pro interna bonitate argenti determinare & augere.

Nonnulli istam auctionem preciorum conantur lege publica prohibere, putantes ita præcaveri damna omnia. Verum experientia & æquitas ostendit, quod valor mercium fluat, ex interna bonitate Monetarum, & ideò per aliquot secula aucta sunt rerum precia, quia ita deterioratæ fuerunt Monetæ.

Alii in necessitatibus Reipubl. damna aliqua privatis inferri posse per viliores Monetas statuunt, præsertim ubi Contributiones non ita

cito, nec tanta mole possunt colligi: Asserunt enim quod per tales monetas cito subveniatur Reipubl. & anticipetur atq; evitetur Contributio; quasi paria sint damna, & idem sit subditis, an conferant Millionem florenorum per tributa, an verò per deteriores monetas ad summam 1. Millionis lædantur. Nam par damnum esse sibi persvadent nonnulli, neq; putant lædi Rempubl. sed illi optimè consuli. Sed plausibilia ista prorsus erronea, & monetas Viles Reipubl. atq; privatis vehementius quam durissimas Contributiones, aut hostiles direptiones damnosas esse, patebit ex sequenti explicatione damnorum inde profluentium.

1. Rerum precia omninò tandem crescunt, ut pro 100. flor. vilioris monetæ non tantum emere possis, quantum pro priori pecunia cui plus argenti inest. Nam Mercatores apud Exteras Nationes non tantam copiam Mercium novarum, pro Vilibus Monetis possunt coëmere & invehere, quia extra territorium nulla moneta valet, neq; æstimatur ultra internam argenti bonitatem. Et ita Mercatores non possunt pro 100. florenis vilioribus vendere, quod pro 100. florenis Melioribus antiquis, emerunt; Itaq; vel coguntur augere precia, vel cessare. Sic rustica plebs, quæ initio servabat incautè antiqua precia, jam sapit, & ista augere incipit, vel merces devehit in loca ubi bonam recipit Monetam.

2. Precium quoq; & valor Monetarum Majorum scil. Ungaricalium & Thalerorum excrescit, quia in speciebus minutis v.g. in 6. florenis Sexgrossalibus, grossis, solidis imò & orthonibus atq; florenalibus longe minus inest argenti quam in duobus thaleris in specie (uti loquimur) & ita corruptus est *Pes monetalis*, unde multa mala oriri, vetus & verus est Aphorismus. Ista autem noxia auctio Valoris oritur & exercetur per ipsos Monetarios; nam ut Viles Monetas solidorum, florenalium &c. dispergant per regnum, passim per Judeos & alios pro thalero dant 3. flor. & 6. 12. grossos solidorum, quibus nil argenti sed tantum 1. libra cupri inest, quæ valet 15. grossos, & ita vix $\frac{1}{6}$ partem reddunt pro thalero, & ultra quintuplum defraudant populum.

Quando verò 3. florenales Timpii permutantur pro Thalero, tunc tantum 36. grossi respectu puri argenti, redduntur, quia singuli tantum 12. grossos juste valent, uti infra dicetur.

3. Ex hoc simul patet, quanta damna sentiant & minus argenti

percipiant, qui in ſolutum accipiunt monetas viliores, omnes cujuscunq; ſtatus Incolæ Regni, pro Immobilibus, pro Mutuatis bonis pecuniis, pro ſalariis, ſtipendiis, pro locatione ſive arrenda villarum & agrorum. &c. Nemo enim per totum Regnum ferè eſt, qui non aliquid vendat, vel in ſolutum accipiat, & is in ſingulis 100. flor. pro diverſitate monetarum, *uti Talula* 1. *docebit*, perdit vel 20. 23. 26. 28, imò usq; ad 60. florenos. Si vero ſolidos accipit 85. flor perdit, & pro 100. flor. tantum 15. flor. in Cupro recipit.

Ponamus exemplum, quod *Ruſtici pleriq;* per integrum annum ad minimum 100. flor. accipiant, pro frumentis, pecoribus, leguminibus, lignis &c. idq; per cupreos ſolidos, ſic quotannis perdit 85. flor.

Opifices, braxatores, Mercatores inferiores ad Minimum 1000. flor. recipiunt, ita perdunt in 1000. flor. ſolidorum 850. flor.

in florenalibus Timpii —— —— 600. flor.

In ſex groſſalibus —— —— 230. flor.

Nobiles prout plura Millia flor, per annum ex arrendis, Cenſibus, venditione frumentorum, pecorum lanæ &c. recipiunt, ita plura proportionaliter damna ſentiunt ex Viliioribus Monetis, v. g. qui 30. Millia bonæ monetæ poterat percipere, is

ſi recipit { cupreos ſolidos perdit 25500. flor. & vix in Cupro habet 4500. flor.
ſi florenales, perdit 18000, & habet 12000. flor.

Quia verò talis Nobilis, mercator, ruſticus, nunquam in extremis neceſſitatibus, tantam, quantam quotannis perdit, ſummam coactus eſt contribuere; Ideò evidenter patet, quod damnum vilioris Monetæ longè gravius ſit, quam Tributa; Imò quia multis annis recurret damnum, niſi mox remedia ſtatuentur, gravius erit, damnum quam ſubita hoſtilis direptio mobilium.

Certè plures Nobiles per bella diuturna adeò exhauſti ſunt, aut obærati, ut ipſi vel eorum liberi, bona terreſtria vendere cogantur. Sic propter temporum calamitatem minore precio vendunt, & ſi id precium per ſolidos Cupreos vel florenales Bidgoſtienſes ſolvitur, facile accidit, ut ferè totam ſubſtantiam amittant, aut vix $\frac{1}{10}$ partem percipiant pro bonis Immobilibus, quæ nulla hoſtili deprædatione potuerunt eripi. Sic per viliores Monetas multæ Illuſtres familiæ opprimentur, ut reſurgere ex malis nequeant.

Parca-

Parentes qui liberos ad Exteras Regiones ſtudiorum gratia miſerunt, ſi mille florenales Timpii tradunt Mercatori Italo Cracoviæ, vix dimidium reddet in Italia aut Gallia per bonas Monetas.

4. Reſpubl. quoq; longè majus damnum ſentit in publicis reditibus, Teloneis, Cenſibus, variisq; tributis, quam lucrum ex contractibus vilioris Monetæ fuit. Quamvis enim pingue *lucrum* videatur quod in neceſſitate & defectu Contributionum Reſpubl. ex inſtitutis vilioribus monetis poſſit aut 3 Milliones flor. una vice acquirere, aut ex argento unius boni floreni, duos viliores fabricare. Attamen re penitius trutinata *damnum* apparebit dupliciter. 1. In reditibus, nam ita vilior florenalis, pro antiquo longè meliore datur, aut pro bono argento 4 florenorum ſolvitur per ſolidos tenues 1 libra Cupri. Facile poteſt Calculus oſtendi ex Tabula II. quam ingentes ſummæ decedant Reip ex ſingulis millionibus flor. quas antea per bonas monetas percipiebat, & cum decore in uſus publicos expendere poterat, ante hæc cuprea tempora. Et hæc damna Theſaurus non *una vice* ſentit, uti lucrum ex Contractibus Monetalibus, ſed *ſæpius & per plures Annos*; ex quo apparet damnum longe eſſe majus quam lucrum.

2. Læditur quoq; Theſaurus in quota lucri vigore Contractuum quibus viliores Monetæ, ut Ortones, ſolidi cupri & Florenales Bidgoſtienſes ſunt permiſſæ. Non plurimas tonnas auri Monetarii lucrari potuerunt; ſupra eas ſummas, quas Theſauro pro Lucro dederunt, uti inferius apparebit.

Et propter hæc damna privata atq; publica ſine dubio S. R. Mtas. Leopoli Ao. 63. prudentisſime contradixit, neq; niſi ægrè admodum, poſt crebras Illmor. Dn. Commisſariorum Reipubl Inſtantias, conſenſit, in cuſionem florenalium Timpii, & nimiam ſolidorum cupreorum multiplicationem.

5. Per viliores monetas Comercia quoq; divertuntur in alias Regiones, Experientia enim docuit his annis, quod Incolæ Majoris Poloniæ, maximam copiam frumentorum, lanæ, pellium &c. potius in Pomeraniam majore labore evexerint, quia ibi bonas Monetas acceperunt. Thorunium verò propter viliores Monetas ſpreverunt. Et ex tali fama, quod plures merces Polonicæ eſſent in Pomerania quam Gedani, Naves Belgicæ potius in Pomerania quam Gedani coëmere voluerunt, ex quo non ſolum Portoriorum diminutum eſſe Gedanenſes aſſerunt, ſed etiam

Incolæ

Incolæ Minoris Poloniæ, Mazoviæ, Podlachiæ, qui Pomeraniam adire nequeunt, sed Gedanum merces vehunt, exilius ibi precium senserunt propter diversionem Commerciorum. Certe si Gedani viliores Monetæ Polonicæ vigerent uti Posnaniæ, Thorunii, Varsaviæ, Naves Exteræ nullas merces adveherent, sed portum ipsum atq; commertia vitarent. Et ita patet quod sine ingenti damno Commerciorum, quæ totam Poloniam afficiunt, monetæ viliores Gedani introduci non possunt. Prætereo jam, quod plures turbæ ex deterioratione Monetarum ortæ quam per id medium sopitæ sint, & quod infinitæ lites & processus, (tabes Rerump.) oriantur ex variis per tales Monetas læsionibus contrahentium.

Ut singularum Monetarum vilitatem & defectum respectu Thalerorum brevissimè ostendamus, quid contineant in grano & pondere, quæ damna oriantur in Centum flor. qualis sit differentia inter nimium valorem forensem, & justum valorem intuitu puri argenti, & quatenus (si ita Reip. placebit) valor tollerabilis statui possit. Sequentes Tabulas ponimus. Usurpamus autem non Marcam Cracov. antiquam, (quæ $6\frac{7}{8}$ thaler. ponderat) propter fractiones molestas, sed novam Monetalem Marcam quæ per Commiss. Monetalem A. 1650. est introducta, & ponderat 7. thaleros, ita ut quilibet paterfamiliæ facilius omnia calculare queat.

TABULA I.	*pondus* Marca Monetal ponderat.	*Granum* Metallili-ga seu bonitas.	Ex Marca mixta fiunt.	Ex pura Marca Argenti fiunt	Damnum in singulis centū flor. respectu Thaleri,	Valor forēsis justo major.	Valor just⁹ ex interna bonitate.	Valor tollerabilis, per reductionem.
			fl gross.	fl gross	fl gross.			
Taler.	7 stük	$14\frac{2}{18}$ loth	21	24	— —	— —	3 fl	3 fl
Ortho Bidgost & alii.	32 stük	$10\frac{1}{4}$ loth	19 6	30	20	18 gr	$14\frac{1}{2}$ gr	15 gr
	$32\frac{1}{2}$	$10\frac{1}{8}$ loth	19 15	30 24	22 13	18 gr	14 gr	15 gr
Orth. Lithuan.	36 st.	12 loth	21 18	28 24	16 6	18 gr	$14\frac{3}{4}$ g	15 gr
		$12\frac{2}{18}$ lot			15 24			
Florē. Bidgost	30 st.	8 loth	30	60	60	30 gr	12 gr	13 gr
	$58\frac{1}{2}$	$5\frac{15}{16}$ loth	11 21	31 $7\frac{1}{2}$	23 23	6 gr	$4\frac{1}{2}$ gr	5 gr
Sexgrossales.	60	6 loth	12	32	25	6 gr	$4\frac{2}{18}$ g	—
Trigrossi	120 st.	6 loth	12	32	25	3 gr	$2\frac{1}{4}$ gr	$2\frac{1}{2}$ gr
Sexquingross.	186	$4\frac{1}{2}$ loth	9 9	33	27 $8\frac{1}{4}$	$1\frac{1}{2}$ gr.	$1\frac{1}{18}$ g	4 *solidi*

Tabula II. Ostendit damna ex defectu argenti sive Internæ bonitatis in Novis Monetis.

Damnum oritur.	In Centum Florenis	In Mille Flor.	In Centum millib⁹ flor.	In Millione Flor.
per Orth. Lituan.	16 fl	160 fl	16000 fl	160000 fl
per Orth. Bidgost.	20 fl	200 fl	2000 fl	200000 fl
per Sexgrossales,	23 fl	230 fl	23000 fl	230000 fl
per Florenal. Bidgost.	60 fl	600 fl	60000 fl	600000 fl
per Solidos Cupreos.	85 fl	850 fl	85000 fl	850000 fl

Tabula III.

Si Monetarius pro impensis cusionis Centum florenorum computat & detrahit à summis Tabulæ II. 4. flor. (*quod abundè* sufficit, quia nunquam antehac ultra $3\frac{1}{2}$. flor. sunt computati) apparet lucrum quod integrum Reip. dari debuisset.

	Ex Centum Flor.	Ex Mille Flor.	Ex Centum Millibus fl	Ex Millione Flor.
In Orthon. Lithuan.	12 fl	120 fl	12000 fl	120000 fl
In Orthon. Bidgost.	16 fl	160 fl	16000 fl	160000 fl
In Sexgrossalibus	19 fl	19 fl	19000 fl	190000 fl
In Florenal,	56 fl	560 fl	56000 fl	560000 fl
In Solidis Cupreis.	70 fl	700 fl	70000 fl	700000 fl

Quia in Solidis 15 flor. ponimus pro fabricandis centum flor. uti infra patebit.

Tabula IV.

Ostendit quantum puri argenti requiratur & insit singulis Monetis, ut pateat ingens diversitas internæ bonitatis inter diversas Species Monetarum Et quia ingens Argenti puri quantitas, requiritur ad plures Milliones quæ hactenus in Speciebus Florenalibus, Sexgrossalibus Orthonibus &c. fabricatæ sunt, apparebit Incredibile esse quod tantum Argenti rudis ab Exteris nationibus sit advectum; Et inde creditur quod antiquæ bonæ monetæ sint in viliores per Monetarios transmutatæ, & tali modo extirpatæ, cum memoria Regum; Imò quod & Vasa Argentea templorum & nobilium sint conflata.

Ad Millionem (sive decem tonnas) florenor, requiruntur puri Argenti,

in Specie thalerorum	— —	$41666\frac{1}{4}$. Marcæ
Orthonum Bidgost	— —	$33333\frac{1}{3}$.

Orthon

Orthon. Lithuan.	— —	$34843\frac{3}{4}$ Marcæ
Sexgrossalium	— —	31250.
Florenalium Timpii	— —	$16666\frac{2}{3}$.

Posito, quod sint Cusæ 4. Milliones Sexgrossalium. facit 125000. Marcas.
6. Milliones Orton. Ab An. 1659. 200000. Marc.
4. Mill. Floren. Timpii — 66666. Marc.

49I666. Marcæ Arg.

Certè tanta Argenti copia non est invecta in Poloniam, & si foret invecta ab Exteris, Exteri non viliores sed bonas Monetas reportassent. Sequitur itaq; quod per viles Monetas antiquæ bonæ Monetæ vel sint relegatæ ad Exteros, vel à Monetariis conflatæ & extirpatæ, cum damno irreparabili.

Vasa argentea quidem à Nobilibus necessitate pressis emerunt Monetarii, & solverunt pro Marca puri argenti 27. flor. (cum tantum 24. fl. ante 10. annos valeret) verum quia in 27. florenalibus Bidgost. parum argenti inest, quod vix 10. flor. 24 gross valet, ideò Nobiles tales læsi sunt atrociter ultra dimidium, sub vana specie lucri.

Si verò 27. flor. solidorum accepit Nobilis pro Marca argenti, tantum 3. fl. 24. accepit. Nam solidi isti ponderant $6\frac{3}{4}$. ℔ Cupri quod in rudi Massa emitur 3. flor. 24. gross.

Sic per Artes Monetariorum sub specie lucri Nobilibus cum atroci damno vasa quoq; argentea sunt ademta, & ista Reipubl. decora, (ut taceam vasa Templorum) conversa sunt in viles monetas, quibus tanquam per morbum, opprimitur Respubl. & exhauritur indies, donec assumantur remedia.

Quia supra dictum est, quod per Viliores Monetas non solum læduntur privati, qui eas loco bonarum Monetarum accipiunt. Sed etiam Thesaurus Reipublicæ in quota lucri per Contractus cum Monetariis. Utrumq; per Exempla ostendi potest.

Petrus, Andreæ Monetario mutuo dedit per monetam thalerorum, — — — 100. flor.

Si Andreas loco thalerorum solvit istam summam per novos ortones Bidgost. tunc in 100. florenis talibus longè minus argenti boni reddit, nempe vix — — — — 80. flor.

Et

Et ita Petrus damno afficitur & Andreas lucratur $\frac{1}{5}$ — 20 flor.

Si vero Andreas per Sexgrossales suos solutionem facit, tunc illis centum flor tantum inest argentum pro — 76. fl r.

Et Petrus damno afficitur, circiter ad $\frac{1}{4}$. — — 24. flor.

Si vero Andreas per Florenales suos solvit Mutuum tunc in 100. fl. talibus, tantum inest argentum. — — 40. flor.

Et Petrus læditur per hanc Monetam, ad — 60. flor.

Quanta læsio ex solutis Mille florenis & majoribus summis oriatur, ostendit Tabula II.

Quantum Thesaurus Regni perceperit lucri, & quatenus per varios Contractus cum Monetariis, in quota lucri læsus sit, ut exactè calculari possit, requiritur cognitio 1. Contractuum, quid pro lucro, Thesauro sit promissum, & quot. Milliones Monetarum in certo viliore grano & pondere fabricari permiserit Respubl. 2. Utrumne plures summæ de facto sint fabricatæ, 3. Annon in viliore grano & pondere. 4. In singulis Monetis supputandæ sunt impensæ monetales seu fabricationis, & subtrahendæ à lucro tam in argenteis quam Cupreis Monetis, tunc apparebit quid perceperit Thesaurus, & quid lucri Monetarius sibi reservarit. Non satis cognitum est, quales Contractus An. 58. 59. & hactenus cum Monetario Bidgostiensi & aliis sint celebrati super formatione Orthonum, Sexgrossalium & Florenalium. Referunt quidam, quod pro modica annua pensione, locatæ nonnullis fuerint officinæ, ut suis sumtibus indefinitas summas Orthonum & Sexgross fabricare possent. Quæ norma in grano & pondere ipsis sit præscripta, obscurum est; Ex effectis autem patet, quod 32. imò & $3\frac{1}{2}$. Orthones sint facti ex Mixta Marca quæ tantum $10\frac{1}{4}$. loth continet argenti, ut ita ex Marca puri argenti 30. floreni, imò 30. fl & 24. gr. sint elaborati. Hac ratione in 100. talibus florenis respectu thalerorum, minus inest argenti, 20. flor. & amplius. Si pro labore & Impensis, Monetario conceduntur 4. floreni (quod abunde sufficit,) remanent pro lucro, juxta Tabulam III. de singulis Centenis, 16. floreni, & de una Millione flor. in specie Ortonum remanent 160. Millia flor. Et de 1. Millione flor. Sexgrossalium remanent ducenta Millia flor. post detractas impensas. Posito itaq; quod uno anno fabricata

sunt

fit 1. Millio flor. per speciem Orthonum. — 160000. flor.
Et Sexgrossalium 1. Millio flor. — — 200000. flor.

facit lucrum. 360000. flor.

An Thesauro quotannis tanta summa data sit, aut quare data non sit, non scio. Nam Sexgrossalium & Ortonum viliorum tanta est copia, ut plures Milliones fabricatas esse appareat, & adhuc damnosus labor nimia solertiâ continuatur.

Florenales Monetas sub ostentatione lucri, Monetarius obtrusit Illmis. Dnnis Commiss. Regni Leopoli An. 1663. Quanta Summa, & pro quo lucro, ipsi sit permissa, non exactè patet, indagari tamen meretur, quia nimis est noxia. Nam ex Tabula I. apparet quod ex 8. Lothis Argenti cudantur 30. flor. Et quod damnum in singulis Centum florenis Incolis Regni sit ultra dimidium, nempe 60. flor. ut ille qui putat se 100. flor. percipere, in argento vix habeat 40. flor.

Si juxta Tabulam III. pro impensis cudendi computantur & conceduntur Monetario 4. floreni de 100. flor. restat lucrum 56. flor.

Et ita restant ex 1. Millione flor. 560000. flor. qui pro lucro deberent Thesauro dari.

Sed asseritur per famam publicam, quod de 100. florenis Thesaurus â Monetario tantum 45. flor. percipiat ita de una Millione darentur tantum 450000. flor.

Sed hoc modo ultra omnes Impensas Monetarius lucraretur 110000. flor.

Et ita quanto plus exhauriret Remp. per copiam istius monetæ tanto plus ditesceret, nam ex 5. Millionibus flor. posset lucrari 550000. flor. sive $5\frac{1}{2}$ tonnas auri.

Non ignoro quod Monetarii quoq; fucatè inter Impensas computent 1. Usuras ejus summæ quam Reipubl. in necessitate prænumerant. Nam constat quod unus aut alter Leopoli An. 1663. Reipubl. mox in variis Mercibus multas tonnas auri, & residuum stipulati lucri per monetas viliores, nempe solidos Cupreos, nec non florenales Bidgost. dare promiserit. 2. computant excessivè, quasi ad emendum & advehendum ab Exteris Argentum & Cuprum, Magna summa Capitalis & impensæ in Cambia, Factores, & Vecturas requirantur. 3. quod rude argentum non veteri precio 23. aut 24. flor. possit emi, sed ad 26. & 27. flor. creverit valor. Quantas summas ad Patronos causæ suæ comparandos computent, non dixero.

Sed Respondeo 1. Merces v. g. arma pannos &c. (uti publicæ querelæ ferunt) nimio & excessivo precio dederunt Thesauro, sed ipsi longe minori precio emerunt, â Mercatoribus, quibus postea solverunt per solidos aliasq; viliores species, ut ingens lucrum ex tali Mercium prænumeratione perceperint, non damnum.

2. Non adeò ingens summa Capitalis (uti vocatur) requiritur; neq; ad Instrumenta, neq; ad Argentum cuprumq; nam si pro 50. Millibus florenorum antiquorum, Cuprum aut vasa argentea primitus emta sunt, ingentes brevi tempore summæ, Solidorum ant Florenalium inde fabricari potuerunt. Per quas summas in populum cum exili lucello. 2. 3. gross sparsas, monetas bonas, thaleros, Ortones, leoninos (Lewkowe thalari) &c. ad se traxerunt, & indies per talem crebram celeremq; Versuram, capitale suum semper duplo, quadruplo auxerunt, atq; Cuprum, aut argentum rude, vel Vasa talia coëmerunt, & non solum ista, verum, & *uti supra dictum*. Monetas bonas transmutarunt in viliores nam quò sæpius permutarunt viliores tanto plus bonæ pecuniæ receperunt, & lucra sua cumularunt.

3. Resp. quod Incredibile sit, *uti supra attigimus*, tantam Molem rudis argenti ab Exteris esse invectam, quantam tot Milliones Florenalium, Sexgrossalium, Orthonumq; requirunt; Absurdum quoq; est, credere, quod pro Marca rudis argenti, Monetarius 27. flor. ad exteros Miserit per 9. thaleros in specie; (quia alias nostras Monetas Exteri aversantur.) Stupidissime enim errasset, quia in 9. thaleris, plus inest quam integra Marca puri argenti, & ita plus signati argenti dedisset, quam in rudi argento recepisset; Certè tanta simplicitas exulat â Monetariis. Si verò pro viliori pecuniâ, v. g. pro 27. florenalibus, (qui respectu internæ bonitatis vix 10 flor. 24. gr valent) vel Sexgrossalibus, emit Marcam argenti puri, lucrum non damnum percepit Monetarius. Et ita patet, quod ultra 4. flor. pro Impensis, nihil Monetarii per fucatos istos prætextus â Dominis Commissariis extorquere debuerint, quod tamen fecerunt, nescitur quomodo.

De Cupreis solidis, mirantur omnes quod An. 1659. absq; urgente necessitate, ad solam Monetarii persvasionem, (quasi nempe ad exemplum Hispaniæ, Galliæq; possint introduci, ad expellendos solidos Succicos,

cicos, idq; ſub ſpecie lucri publici, non attento immani damno privatorum; ita enim publico ſcripto defenſa res eſt, jam An. 1661.) ſint recepti ab Illuſtrisſimis Domini Commiſſariis Reip. uti ex Tenore Commisſionis patebit. Nam permiſerunt cudi Orthones indefinite, & Cupreorum Solidorum 1. Millionem, pro lucro 410000. Millium flor vilioris Monetæ. Debebant quidem Orthones 30. fieri, ex Marca mixta quæ $10\frac{12}{16}$ loth. argenti contineret, *(cum per priores leges Regni ex 11. loth argenti tantum 28. Orth. fieri deberent)* Sed quia Monetario non ſuffecit lucrum tale 10. flor. 24. gr. ex centum flor. ideò nulli tales Orthones apparent. Sed quia ab aliis antea ex viliore Metallo, nimirum ex Mixtura $10\frac{1}{4}$. lotos Argenti continente, antea 32. Ortones fabricati erant ex quibus plus licet lucrari: Ideò potius orthones tales viliores ſunt fabricati, qui deductis laboribus centum & ſexaginta Millia *flor.* pro lucro præbent ex una Millione *flor.* cuſa.

Permiſſa quoq; iſti monetario tunc eſt fabricatio Unius Millionis ſolidorum Cupreorum pro Regno & alterius millionis pro Lithuania hoc modo ut ex Marca cupri tantum 150. ſolidi fierent. (Sed ex libra Cupri ultra 300, imò usq; ad 360. ſolidos ajunt eſſe fabricatos uti infra dicetur.)

Taxatur autem libra Cupri pro 15. groſſis, & ponuntur pro impenſis monetandi itidem 15. groſſi ad ſummum.

(Nam orbiculorum ſeu ſolidorum rudium nondum Signatorum, quos ex Svecia aliisq; locis ingenti copia emit, ſingulas libras poteſt coemere 24. aut 26. groſſis, qui pro 3. groſſis ſolent ſignari) & ita ex 30. libris Cupri, quæ incluſis Impenſis, conſtant 30. *flor.* fabricari poſſunt 9000. ſolidi, ſive Centum *floreni.* Et conſequenter ad unam Millionem *fl.* requiruntur trecenta Millia librarum Cupri, ſive tot *floreni* ad materiam & labores.

Ita ſi à Millione ſive — — 1000000. *flor.*
detrahantur pro Materia & Impenſis — 300000.

Reſtat lucrum — 700000. *flor.*
Cui adde lucrum ex Millione
ortonum — — 160000.

860000. *flor.*

Subtra-

Subtrahe ab iſto lucro, id quod
Reip. vigore Contractus debetur — 410000. *flor.*

Reſtat lucrum pro Monetario — 450000. *flor.*
Ita Reſpubl. ultra dimidium læſa eſſe videtur.
Par eſt lucrum ex altera Millione quæ pro Lithvania eſt fabricata.
ſcil. — — 450000. *flor.*

Vigore Novi contractus. Leopoli An. 1663. M. Jan. concluſi ex magna neceſsitate Regni permittebatur Monetario cudere ultra 5. Milliones Solidorum, ſcil. (præter minores ſummas pro privatis) 5250000. *flor.*

Ex ſupra dicto Calculo, quod tres tonnæ auri. Pro Cupro, & impenſis requirantur ad 1. Millionem Solidorum, ſequitur quod ad iſtam novam ſummam requirantur pro Cupro & impenſis 1622500.

remanent pro lucro 3627500.
Ex lucro hoc dantur Theſauro, 3. Milliones ſc. 3000000. *flor.*

Ita Lucrum manet Monetario. — 627500. *flor.*

Si verò ex libra Cupri facti ſunt 360. ſolidi ſive 4. *floren.* tunc ad prædictam Summam Contractus requiruntur 1312500. libræ pomus etiam uſuras, prænumeratæ ſummæ — 78000. *flor.*

Faciunt impenſæ 1390500. *flor.*
Si itaq; à ſumma — — 5250000. *flor.*
Subtraho has impenſas — — 1390500.

remanent — 3858500 *fl.*
Atq; ex his datur Thaſauro — — 3000000. *fl.*

Ergo pro Monetario remanet — 859500. *fl.*

Sed ſi iſte Monetarius uti per ſcriptum publicum asſeritur tantum ſummam dimidiam ſolidorum fabricavit, & dimidium quoq; lucri ſtipulati Theſauro dedit, remanent ipſi pro lucro — — 429750.

Ita Solidorum qui in Lithuan. cuduntur ab ipſo vel aliis, calculus quoq; faciendus eſt, & apparebit lucrum ingens.

Iſta omnia non alio fine enucleata ſunt niſi ut appareat Monetarios

The-

Thesaurum enormiter læsisse & omnibus Incolis damna gravissima intulisse,

Certe æquum non nullis videtur, ut tot tonnas auri lucratas, singuli monetarii cogantur per bonas Species Monetarum, inferre Thesauro, & Thesaurus postea posset, tantam Summam Solidorum Cupreorum per contributionem collatam, in rudem Massam conflare, ut nimius numerus minuatur.

Quæ remedia autem contra viliores monetas argenteas moderno statui Poloniæ possibilia & conducibilia sint, ulterius perpendemus. Ex Historiis variarum Nationum patent Exempla quod viliores monetæ, quæ in extrema necessitate ex viliore metallo aut corio factæ fuerant postea ad avertenda damna privatorum & liberandam Fidem publicam pro bona nova moneta permutatæ, aut in ærarium receptæ sint per contribuendi viam & in rudem mastam conflatæ atq; hac ratione abolitæ. Verum id Statui Poloniæ moderno videtur inconveniens, imò impossibile. Nam procul dubio triplo plures invenirentur tam Cupreæ quam argenteæ species, quam per Contractus cudi debuerumt: Ita enim in Angliâ accidit olim, quamvis in ista Insula, minor sit occasio invehendi adulterinas monetas, quam in patente Regno Poloniæ.

Porrò quia supra ostensum est, damna ex vilioribus monetis, nocentius invalescere, quo diutius differtur remedium; Ideò ne in dies Corpus Reipubl. gravius inficiatur veneno isto. I. Inhibenda est severe & ubiq; talium Monetarum omnium fabricatio. Nec obstat si dicatur, nondum finitum esse tempus quod Monetariis per contractus est præfixum. Nam facta accurata Inquisitione patebit, quod monetarii jam integrum constitutum numerum vilis Monetæ fabricarint, vel certè talem; ut ultra Expensas suas, jam laborent de lucro captando, quod tanquam publicum Venenum non fovendum sed potius sistendum est.

II. Quia respectu internæ bonitatis, non tanti æstimari possunt Monetæ deteriores, quantum in foro vulgò valent, uti *ex Tabula I.* patet, diversitas valoris forensis, à Valore justo interno; Ideo valor nimius forensis minuendus sive Devalvandus est (uti vulgò loquimur) ad justum tale precium, quo quantum fieri potest, *restituatur laxatus Pes monetalis*, hoc est, ut tantum ferè argenti insit centum Florenis minutarum specierum, ita devalvatarum, quantum inest $33\frac{1}{3}$ thaleris. An autem Devalvatio (uti vocatur) una vice, vel potius, ut insensibilius toleretur, per vices sit in stituenda, disquiritur. Si-

Si per vices instituitur, major ferè preciorum varietas & litium materia oritur & lentum est remedium: Præstat itaq; una vice devalvationem ita instituere, ut (quemadmodum in Germania & alibi factum est) *præmoneantur Incolæ Regni*, exempli gratia, quod à I. Febr. incipere debeat valoris imminutio & quod à I. Januar. nemo anteriora debita per istud genus & valorem monetæ exolvere debeat, sed valor modernus tantum per mensem Januar, ad recentes contractus isto tempore pro parata pecunia celebrandos durare debeat. Ita in isto spacio prævisa devalvatione, solertiæ singulorum permittitur, expendere istas Monetas per coemtionem mercium, mediocri valore.

Nam uti olim servi Judæorum, in ultimis, propè Jubilæum, (quo liberabantur) annis, minus valebant, & sicut Equus senex non diu victurus minus quam junior diu duraturus, valet; Ita & Monetarum valor isto tempore vilescet. Præcavendum enim est, ne malitiosi Debitores, ultimis diebus Januarii solvant debita, quando sciunt cum damno Creditoris propediem minus valituras istas monetas, id enim vetat æquitas & charitas.

Ut itaq; *Pes Monetalis* quantum potest restauretur per Devalvationem, & ad proportionem bonitatis thalerorum & orthonum veterum fiat nova æstimatio viliorum specierum, ita procedendum videtur, salvo meliore judicio.

Thaleri maneant in valare 3. *flor.* nec permittatur auctio.

Orthon. Polon: ante An. 1659. cusi, & *Brandeburgici, Thorun: Elbing: Gedan* valeant - - - - 18. *groß.*

Ita & *veteres Sexgrossales, Trigroß:* & *Sesquigroßi* maneant in veteri valore.

Novi Orthones in Lithuan cusi An. 64. valeant - -	15 *groß.*
Sic & *Orthones Polon:* ab An. 658. cusi, præsertim Bidgost:	15 *groß.*
Florenales Bidgostienses, quia nimis viles - - -	13 *groß.*
Sexgroßales novi. - - - ?	5. *groß:*
Trigroß novi Polon & Silesiaci. - - - -	$2\frac{1}{2}$. *groß:*
Novi Sesquigroßi - - - -	4 *solidos*

Ita non quidem exactè, sed tolerabiliter restitui potest. *Pes Monetalis*

Et Salus Reipubl. exigit ut id quamprimùm fiat absq; dilatione sub quocunq; prætextu.

Nam per *Cessationem* officinarum, præcavetur quidem ne plures fiant Viles monetæ, ne augeatur morbus, C Non

Non tollitur autem præsens morbus, nisi fiat *simul* talis *Devalvatio.* Alias intra & extra Regnum Falsarii non cessabunt propter ingens lucrum tales viliores monetas fabricare, quia ultra Mille homines hactenus in Polonia didicerunt artem monetandi, Ideoq; *Devalvatio* nullatenus est differenda.

Neq; obstat I. *quod dicitur ingentem numerum esse monetarum, atq; enorme damnum fore omnium.*

Nam tantò citius correctionem postulat Salus Reipubl. ne diutius morbo isto exhauriantur privatæ & publicæ opes, alter sanguis hominum, quia tandem Commercia (*vinculum illud inter Gentes præcipuum*) peribunt, & per viliores monetas quasi in Carcere suo constringentur Incolæ Regni, præsertim Mercatores.

Considerandum quippe est quod damna genuinè loquendo respectu internæ bonitatis Monetarum, non oriantur singulis jam per devalvationem, sed quod quilibet damna tunc incurrerit, (licet vulgus non senserit) quando viliores species primo anno pro veteri meliori specie recepit.

Rusticis certè & opificibus parum nocebit devalvatio argenteæ pecuniæ, quia hi cupreos potissimum habent Solidos. Neq; nocebit *Magnatibus*, quia illi thaleros & Ungar. in thesauris servare solent, pro vilioribus verò monetis emunt fundos, aliaq; necessaria. *Mercatores* quidem damna magis gravabunt; sed per industriam talia uti alia bellica incommoda conabuntur & poterunt resarcire. Nam per justam monetam tam rerum precia, quam commercia reducuntur ad pristinum vigorem, quæ alias *uti supradictum* divertuntur in loca extranea. Et ita Commerciorum fertilitas, uti agrorum, pensabit perpessam sterilitatem.

II. *Non obstat quod non nulli prætendunt, ignominiosam fore Reipubl. hanc Devalvationem, quia agnoscantur errores proprii.* Nam perinde errant illi, ac si ægrotus nimio pudore contabescere potius, quam morbum agnoscere & curare debeat. Gloriosum id potius Reipubl. erit apud vicinos, & sibi ipsi salutare si onera & mala per calamitates extremas incussa, ita generosè & tempestivè excutiat & corrigat: Econtra si absq; medela, diutius Respubl. ceu desperatus ægrotus tabescere perget in ærumnis suis, vicini eam languescere, & viribus imò viris generosis, veris hujus morbi Medicis, carere putabunt.

III. *Non*

III. *Non obstat quod dicitur: Rempubl. ingentia Militibus stipendia debere, quæ facilius ante Devalvationem possint exolvi.* Nam non ita citò, neq; absq; novis tributis fieri potest solutio. Si itaq; differtur Devalvatio, interim Resp. damna sentit in qvarta & vectigalibus, & longe minus per tributa colligit, quam posset percipere si statim ad justum precium reduceret monetas & restauraret vigorem commerciorum, quorum fructus tanquam vitalis aura, non mercatores solum sed & Nobiles omnesq; Incolas refocillat.

Nocuit differre, paratis.

Cuprea Moneta Solidorum, vix pati videtur medelam per Devalvationem. Nam ita vilis est materia, ut centum *floreni* vix 12, aut 15. libras cupri ponderent, & valeant hoc respectu vix 13. aut 15. *florenos.* Hac proportione 7 Solidi forent devalvandi, ut unicum solidum valerent. Sed ita misera plebs nimis depauperaretur & ad desperationem detruderetur atq; puniretur, quamvis ipsa causam malo non præbuerit.

Postulat sanè nimius numerus tot Millionum solidorum, ut minuatur, & per liquefactionem in rudem massam reducatur pars eorum. Sublimi Reipubl. arbitrio relinquitur, an unam aut alteram Millionem Solidorum, per tributa populi collectam, (*ne iterum in populum dispergatur*) velit liquefactione abolere, & Monetarios qui tanta lucra perceperunt, adigere, ut similem summam bonæ pecuniæ Thesauro inferant. Nam læsam Rempubl. tanquam pupillam in integrum restitui, æquitatis & juris, imò necessitatis est.

Postqnam numerus nimius ita restrictus erit, residui solidi *ad dimidium valorem* reduci poterunt si Reipubl placebit, idq; post tempus præmonitionis, non ex abrupto, uti supra de argenteis Monetis dictum est.

Hæ tamen cautiones necessariæ videntur.

1. Ne solidi in Vectigalibus, & solutione Quartæ recipiantur. In tributis verò à plebe solvendis non poterunt sperni.

2. Ne in Contractibus quibuscunq; & solvendis debitis quisquam invitus adigatur, plus quam 5 florenos solidorum, inter singulos Centum *flor.* in Polonia recipere. Hac ratione enim Comercia non turbabuntur, sed manebit moneta solidorum in usu plebis.

3. Ut exactè & severissimè præcaveatur & puniatur omnis ulterior Cusio & Invectio Solidorum, alias propter affluxum pravorum humorum, nunquam eradicari morbus poterit.

Benigne Lector

Quia Fides jurata quemvis adstringit, *ut de damnis Rempubl. moneat,*
& pro viribus ad extinguendum Incendium aquam adferat. Ideò sub-
misse spero, quod nemo, nisi qui clandestina privata lucra, Saluti publicæ
præfert, *fideie hoc Holocaustum licet exile*, odio proequetur, sed potius gra-
tiâ & ope sua ad Reip. salutem diriget, etiamsi non omnia ad Amussim
recta inveniat, in his quæ *facti* sunt, & *calculi minutias* concernunt. *Cun-
cta enim sublimi Reipubl. arbitrio submitto, puro Corde.* Usurpavi in hac Ma-
teria Voces minus Latinas, sed vulgô receptas *Orthonum, Marcarum, liga
Devalvationis, &c. Tonnarum auri in materia Cuprea & Millionum*, & has qui-
dem *fœminini generis* in Polonia credidi, quia tam facile novas pariunt Mil-
liones in publica sterilitate (*uti de lite jocatur Pöeta.*) Utinam *Neutra* &
nullibi fuissent. In verbis perspicuitatem potius quam ornatum
floridum sectari placuit Omnia ad Majorem DEI glori-
am & Reip. salutem.

Hist. Polon.
a, general.